



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Devonii Oratoris Et Philosophi
Ingolstadiensis Panegyrici Dvo**

Turner, Robert

Ingolstadii, Anno M. DC. IX.

Robertvs Tvrnervs Reverendissimo In Christo Patri, Thomæ Golduello,
Episcopo Assaphensi S. P.D. Romam. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69598)

 ROBERTVSTVRNERVS

REVERENDISSIMO IN CHRISTO

Patri, Thomæ Golduello, Episcopo

Assaphensi S. P. D.

ROMAM.

XIII.

Diuinae beneficentia vis magna est in magnos, bona in bonos. nam nec magnorum ingenia vult latere in angulis, nec bonorum virtutes includi angustiis. non ostendo hoc in Syluestris, Antonii, Paulis (quorum virtutes latentes in caernis, tanquam triumphos cœli, Deus protulit in aspectum, & in huius mundi quendam quasi currum imposuit) sed noto in te. voluisti latere in solitudine Syluestri, sed non potuisti magnus; voluisti in sanctis monasterij septis esse bonus tibi, sed debuisti esse bonus multis. radix tua bonitatis posita est in Italia, rami sparsi sunt per Angliam, fructus decerptus est à toto penè mundo. Italia te fecit Episcopum, Anglia habuit, sed hoc non satis fuit tuae virtuti. Deus voluit Angliam te repudiare Episcopum, vt totus mundus te coleret Episcopum. notior res est, quàm vt debeam digito notare sparsos per Italiam, Angliam, Galliam, Hispaniam, Presbyteros, quos tua manus inunxit, tua virtus excitauit. tua virtus complexa est mundū, seu potius mundus tuam virtutem. non hoc scribo, vt adulatione influam in

* 4

tua

tuas aures, sed ut in gloria tua prædicem Deum: qui
 sic est largus in bonos, ut in egregiè bonos semper velit
 esse egregiè largus. vide, quaeso, Deum bonum, & vi-
 de in te. vult Germaniam optimam, optimam mundi
 partem, esse tuae vitæ, tanquam comediæ, extremum
 actû. nam tibi venit Germania de N. viro bene locu-
 plete & nobili, ac supplex venit per virtutem tuam,
 per merita S. Sylvestri. non est, cur repetam altè rem,
 nosti virum, rem, mentem. de viro vs apertius? nihil
 est in Suevia eo Sueuius, id est, candidius, doctius, sua-
 uius. de mente vs clarius? vult. de re? potest, qui vult
 sincerè, & potest liberè in re religionis, omne tulit
 punctum, si bene intelligo D. Bernardum. hæc sunt in-
 terina, externa illa, nihil est in eo ambitionis, multû
 honoris. aula maxima ambiuerunt eius virtutem,
 aulas contemnit, querit solitudinem, & solitudinem
 vestram. habet agnationem per diuitem felix, cliente-
 lam numerosam locuples, amicitiam florentem do-
 ctus. vno verbo in mundo est magnus, siue narrem bo-
 nores, siue pecunias, siue doctrinam, siue personam,
 quam apud Principem tuetur summam multos iam
 annos summa cum gloria. de morbis nihil est, cur ti-
 meas. optimè est habitus, atq; ita valet, ut nihil penè
 viderim aut in tantis laboribus firmiter, aut in tot vir-
 tutibus pulchrius. nō pergo. magnus est, doctus est, sa-
 nus est, vester vult esse, potest esse, cur non recipit an-
 helantem, inhiantē, in vestrum gremium? addo eum,
 me suadente aliud: ita pertinaciter velle esse vestrum,

vt planè putem hanc mentē esse non haustam ex carne, sed instillatam è cælo. quare si eum incitetis vnus modò literis, facietis planè, quod est dignum & vestra charitate, & illius virtute. nam non vult ingredi tantum iter nulla spe, ne qui in mundo est magnus, hac repulsa fiat nullus. Vale. Ingolstadij.

ROBERTVS TVRNERVS
 REVERENDO PATRI, D. MICHAELI
 Lauretano, Societatis IESV, Rectori
 Collegij Germanici
 S. P. D.

XIV.

V Iuo Ingolstadij, feliciter, quia apud humanos; miserè, quia in hypocaustis. nam ita calent, vt mirer Dyonisium Carthusianum, hominem Germanum, purgatricem flammam non expressisse in illis. tam affabrè id potuit, vt præ hi illud Patritij purgatorium, quod inumbravit, mihi planè videatur calore temperatè suffusum, sed in hac hypocaustorum leuicula miseria, illa me persundunt voluptate, Academia docta, gens Catholica, nobilis humanus, Patres amici. Dux penè Deus, vt hæc omnia absint, vnū tamen esset, quod me bearet. quodnam hoc? Lindmairus, cuius virtus tam est constans, vt quicquid fuit in Collegio Angeli, id putem in illius pectus commigrasse,

x f ita